

MEMORIA VITAE  
VIRI  
NOBILISSIMI PRUDENTISSIMI  
ET AMPLISSIMI  
**NICOLAI BARWARD**  
**MENTZE**

SENATORIS DE REPUBLICA LVBECKI

BENE MERITI

LITERIS CONSIGNATA

JOHANNE DANIELE OVERBECK

GYMNAS. LVBECKENS. RECTORE

SOCIETATVM TEUTONICAR. GOETTINGENSIS ET IENENSIS

COLLEGA HONORARIO.



LVBECAE.

EXCVDEBAT GEORGIVS CHRISTIANVS GREEN

MAGN. SENAT. TYPOGRAPHVS.

II. urb. Germ.

812,26

Vol. Lubec. 1.

**E**rga SENATOREM vnum de Republ. praeciare meritum quod fuit nudius tertius adhibendum pietatis gratique animi officium, illud hodie, quando placuit ita summo Numinis, praefundum est alteri, pie defuncto post prioris illius obitum die quarto. Atque ut in illo celebrauimus praeter caetera tanquam in Tureconsulto, religionem, Christianam fidem, placabilitatem, iustitiam, sic in hoc laudamus easdem praecipue, ut in mercatore, virtutes. Sed ut, quae sunt eadem per se, vix sunt tamen eodem in homine semper eadem, multo minus in hominibus non iisdem, ita horum amborum in similitudine virorum, variam fas erat, neutri tamen vitio vertendam, reprehendere dissimilitudinem. Velut in Illo, quod semper, qualis erat, talis videretur, nec vix videretur, qualis non erat, in hoc autem, quod idem talis semper esset, qualis videbatur, non tamen videretur usque talis, qualis erat. Vterque vero aequa longe aberat ab eiusmodi alicuius hominis ratione, qui, ut adulator apud PLVTARCHVM (<sup>1</sup>), *se ipsum quasi materiam aliquam fingit et efformat, applicareque et adaptare studet his, quos sibi conciliare cupit, imitando.* Quae quidem res omnis versatur in simulatione et inani ostentatione et ficto non modo sermone, sed etiam vultu. Per quae qui stabilem se gloriam consequi posse ventur, ut recte iudicat philosophorum eloquentissimus (<sup>2</sup>), vehementer errant. Horum autem, de quibus dico, duumiorum vterque eam triuit in omni vita viam, quam praeciare SOCRATES (<sup>3</sup>) ad gloriam proximam et quasi compendiariam dicebat esse, propter quod id egit vterque semper, ut, *qualis haberi vellet, talis esset.*

In hoc vero posteriore, prope dixerimus, miram hanc fuisse modestiam, ut ne haberi quidem talis cuperet semper, qualis esset. Certe Pisonem Frugi cognominauisse, si rationem habuisses moderationis atque temperantiae, quae summa in ipso fuit, itemque abstinentiae et innocentiae caeterarumque virtutum, quas frugalitas continet (<sup>4</sup>). Illud dolendum quam maxime fuit, quod non firmiori in corpore et valentiori residebat ille animus, qui cingebatur ubique talium choro tantarumque virtutum. Accidit enim idcirco, ut procul etiam abesse videatur a quodam flexu aeratis, quum iam stadium ipsum confecisset et totum vitae curriculum. Adeone igitur proximam illam suam ad gloriam elegerat viam, ut opinione eam citius tantoque maiori cum luetu nostro absolueret?

Attamen accipiendum sane est et ferendum, quod sapientissimus rerum omnium moderator ipse decreuit, ipse nobis immisit, ipse denique ita sciet dirigere, ut hac quoque in re nihil nobis euenerit, nisi quod erat optimum. Mihi vero in primis cautio adhibenda est, ut ne, quum describenda iam sit laudabilis viri vita, ingrauescenti moerore in ipso orationis ingressu deficiam. Age igitur, colligam vires, ut breuiter, quae habeo, quaeque sunt mecum beneuelle communicata, deponam.

Introiuit in hanc vitam **NICOLAVS BEROARDVS MENTZE**, Lubcae anno huius saeculi xix. a.d. xx. Iun. gente natus peruetusta, siquidem nominis illius ARNOLDVS quidam memorat, qui in hac urbe A. MCCCCXLVII. floruit.

Pater nominis eiusdem, cuius filius, sed diu defunctus, mercaturam apud nos feliciter admodum fecit et plurima cum laude integratatis atque honestatis.

Mater, patruelis soror mariti, **ELISABETHA DOROTHEA**, duorum LDOVICORVM gentis MENTZIAE, vnius germana soror, alterius fuit filia.

Aius, posterioris LDOVICI frater germanus, **BARWARDVS MENTZE**, mercator olim florentissimus, dudum nec sine magna virtutum laude decessit: Auia GERTRVD ex gente fuit HYPPERTORVM.

Proauus denique LDOVICVS, siue, quo prisco nomine dicebatur, LVDEKE, Brunsuiga fuit oriundus, Proauia vero **ELISABETHA**, BERQARDI DVNTEN filia.

Post patris obitum, quem puer quinquennis amiserat, bene tamen et praeciare ad omnem pietatem veramque honestatem sub Matris auspiciis fuit educatus, Matronae prudentissimae, quae sapienter omnia, in his quoque illud instruit, quod, quamuis mercaturae esset a teneris destinatus, tamen iis etiam fuit artibus imburus, quibus puerilis aetas ad humanitatem informari solet, neque usus domestica tantummodo disciplina, sed etiam publica. Vtrobique hausit ea, quae egregie quum sapientem decent virum, tum Christianum hominem, tum bonum civem, tum denique mercatorem. Quae quum in primis feliciter viderentur tenero instillari in publica apud nos officina literaria, huius ex ordine classes tres perambulavit, quintam scilicet quartamque et tertiam. In quibus omnibus profectus adeo, ducibus eo tempore praestantisimis scholae nostrae et praeclarissimis Praeceptoribus, PAVLO HEY, GERHARDO MINO, IOH. SCHEVIO, HENRICO SIVERS, Cantore, CAROL. HENR. LANGIO a. m. Subrectore, denique MART. CHRISTIANO GÖLDELIO a. m. Correctore, ut videretur potuisse, si voluisset, pergere in illo stadio et inter eruditos aliquando homines nomen suum profiteri.

Nunc, quum aliud sequerentur consilium Mater optima et amici, cumque his etiam ipse, ea tamen se didicisse gaudebat, quorum non posset per omnem vitam poenitere. Nec fecellit eum opinio. Ac quanto aptior ad mercaturam caeteris esset, qui ad eam sine omni tinctura literarum accederent, animaduertendi statim occasionem habebat Hamburgi, quo se anno XXXVI. contulit,

(<sup>1</sup>) Οὐλαζέντον ὁσπερά ὑλην τινὰ πυθμίζει καὶ θηματίζει, περιαρμόσαι καὶ περιπλάσαι γητῶν, οἷς ἀν επιχειρή, διὰ μημέσως. PLVTARCH. de discrimine amici et adulatoris.

(<sup>2</sup>) CICERO de Offic. Lib. II. c. 12. f. 43.

(<sup>3</sup>) Apud XENOPHONTEM Memorabil. Socrat. Lib. I. c. 7. et Lib. II. c. 6. Conf. CICER vbi ante.

(<sup>4</sup>) Brevis est disputatio, sed praeclera et succi plena de frugalitate eoque homine, quem frugi dicunt latini, apud CICERONEM Quæst. Tusc. Lib. III. c. 8. ff. 16. 17. 18.

contulit, septimo decimo aetatis anno. Vbi a IOHANNE IACOBO BOVTIN, mercatore in primis perito atque felici, quo eodem pater ante iuuenili aetate Magistro ac Patrono vsus fuerat, tantum valere deprehendebatur ingenio, arte, stiliique exercitatione ac velocitate, vt statim ad conficiendas rationes excercendaque literarum commercia adhiberetur celerrimeque omnia imbiberer, quae ad faciendam caute sapienterque et intelligenter et cum fructu mercaturam pertinent.

Ita sexennio bene atque vtiliter exacto redux factus anno XLII. ad Matrem dilectissimam, hanc in faciendo mercatu florentissimo, quem illa post mariti obitum vsque continuauerat, pri-  
mum strenue adiuuit, postremo, nec ita post multo, se socium ipsum eligere passus est. Atque ibi certare vidisses cum matre filium, matrem cum filio, vter alteri maiora posset pietatis speci-  
mina et benevolentiae et mutui amoris exhibere.

Neque illius moris aut mutatum fuit quidquam aut remissum ex illo inde tempore, quo ipse tori sociam anquirere primum cooperat ac deinde, repartam ex voto, domum duxerat. Quin sapere omnia postmodum quoque videbantur a parte matris caritatem eximiam, in filio pietatem insignem, omninoque praecclaram, qua fruitus erat, educationem, in ambobus vere Christianam omniibusque merito imitandam disciplinam.

Iunxit autem matrimonio sibi virginem nobilissimam elegantissimamque et omni virtutum genere decoratissimam, MAGDALENAM MARGARETAM, viri quondam Magnifici atque illustris, MATTHAEI RODDE, Consulis de Republica Lubecensi immortaliter meriti, filiam vuicam, quacum nuptiis anno XLIV. a. d. IX. Jun. feliciter iucundissimeque celebratis ita vixit suauiter postea ad finem vsque vitae et concorditer, vt, qualium parentum, quales liberi essent inter se felicissima copula vnit, ex innumeris apparceret continuaque documentis. Nexum vero tot vtrinque virtutibus vinculum, tam mutuo amore indies tamque flagranti firmari solitum, eheu rupit iam secundo post et vigesimo anno, quod, si quid esset humanis in rebus aeter-  
num, nullo dissolui tempore meruisset.

Consoletur vero D E V S ipse Viduam tam acerbo desolatam carissimi obitu mariti! Sufful-  
ciatque eam propitius et adiuuet in educanda tenera aetate liberorum nouem, quorum genitura  
exhilarare mentem desideratissimi parentis olim licuit. Iuuat horum, priusquam progrediar,  
nomina, additis simul cuique suis nascendi temporibus, apponere.

Prima proles MARIA ELISABETHA nata est a. XLV. a. d. X. Sept. altera CHRISTINA  
MARGARETA a. XLVIII. a. d. XXIV. Ian. tertia malcula MATTHAEVS NICOLAVS a. XLIX.  
a. d. XXIX. Aug. quarta ANNA CATHARINA a. LI. a. d. XXIII. Jul. quinta CATHARINA  
MAGDALENA a. LIII. a. d. XXVII. Jun. Hisque adiuncti tandem ordine continuo quatuor  
masculi fuerunt LVDOVICVS, a. LV. a. d. XXIV. Oct. PETRVS HENRICVS a. LVII. a. d. XXVII.  
Mart. NICOLAVS BARWARD a. LX. a. d. X. Nov. IOACHIMVS a. LXV. a. d. XIV. April.

Iamque a Liberis optimae spei, quo protegat alium et vitales esse iubeat & sua  
semper gratia adiutos, reuertor ad parentem. Is qualis vir esset, iam antea breuiter attigi. Miram enim iungebat et rariissimam animi simplicitatem praeclarae, qua pollebat, sapientiae ac  
prudentiae insigni. Sermonis haud multi, sed exquisiti et qui ipsam spirabat humanitatem  
atque virtutem, quam simul tamen ipsam celare cupere, nescio quo modo, videbatur ac dissi-  
mulare, ne quid aucupandae laudis adipiscendaeque gloriae videretur aut facere aut loqui,  
quod idcirco tantum, quia verum erat iustum, nec aut taceri aut omitti omnino poterat, &  
dicebat et exsequebatur. In fronte quum residere putares austerioratet nonnullam atque tristitia-  
m, ipsa sinceritas manifestabatur atque, vt ita loquar, probatissima probiras. Solam valetudi-  
nem corpus non maiorem, quam exterius significabat, experiebatur. Caetera omnia ipse multo  
maiora atque meliora praestabat, quam vultu totoque geltu promittere videbatur atque annun-  
ciare, quin immo ipse de se sibi persuadere.

Haec quo magis enotuerunt publice, hoc plura atque maiora credebantur ipsius fidei,  
tutelae, procurationi, administrationi. Ab anno enim inde LI. ad illud vsque tempus, quo  
factus est Amplissimi pars Senatus, alia post aliam publice societas ciuium sibi eum adscivit,  
modo socium, modo praefectum, modo praesidem. Et ad annum quidem vsque LIII his fuit  
adiunctus, qui symbolas, quas vocant, Hispanicas administrant. Ab a. LIV. vsque ad LIX.  
aerario publico suas operas dicauit cellaeque vinariae rationibus et publicae medicamentorum  
officinae. Ab anno LV. vsque ad LVI. eorum fuit adiutor, qui defendunt iura pomoerii. Ab  
eodem anno vsque ad LX. eorum, et qui rhedariis publicis viam Hamburgensem terentibus  
leges constituant et qui procurant Monetam. Atque his functionibus, priusquam legeretur in Se-  
natum, pro more potuit se abdicare. Illis, quae sequuntur, non nisi lectus potuit. Praefectu-  
ris tribus, quarum primam Xenodochii a. LI. suscepit, alteram Nosocomii a. LII. postremam  
acdis Marianae a. LXII. Vno praesidis munere, quo inter hos mercatores, qui nomen habent  
a vindicatis sibi olim itineribus Nouogardenibus, ab anno inde LXI. functus est.

Atque ob haec merita, ob haec tam multa magni animi et rarae sceleriae specimina, ali-  
quanto prius fortasse Senatorium in ordinem fuisset cooptatus, nisi visa fuisset nimis imbecilla  
valetudo huic consilio obstare. Certe simulatque primum redux factus ab acidulis Pyrmontanis,  
ad quas primus anno LXII. profectus fuerat, videbatur vires non modo recuperuisse, sed prope  
recreauisse et auxisse, moxque sequenti proxime anno LXIII. etiam exterius laboranti corpori  
medela fuerat allata, statim eodem anno a. d. XXII. Octobr. ad amplissimam dignitatem fuit  
electedus eoque constitutus loco, qui obitu viri nobiliss. et generosi DITERICI A BARTELS  
a. d. XXI. Aug. pie defuncti, erat vacuefactus. In quo vt splendescere noua quadam luce ob  
indolem his quoque nouis rebus minime imparem, coepit, ita obscurari sensim visa spes est,  
quae

quae laetior affulgere incepérat, fore vt dehinc perpétua et constanti frueretur valetudinis prosperitate, timorque incellit omnes proh dolor! minime vanus de viri meritissimi et examissim optimi salute.

Quibus de rébus quum certo sciam multo, quam mea, libentius illa lectum iri, quae scripsit harum rerum peritissimus artifex, vir nobilissimus atque experientissimus D. B. H. L. LEMBKE, qui a diuturno inde tempore fuit aegrotanti valetudinis causa a consiliis, in medium iam ea ipsa producam. Ita et initium malorum et euentum describit vir praestantissimus:

„Elapsis quinque vel sex; et quod excurrit, annis, Nobilissimus Dominus Senator vitam infirma valetudine degebatur. Partim malo Hypochondriaco, partim doloribus rheumaticis vagis vexabatur; humores vero corporis totius in pejus semper rubeant, et præsertim acidum primorum viarum abundabat. Quibus ex malis appetitus prostratio, tussis sicca, matutinus ructus et vomitus lymphæ viscidæ acideque ortum trahebant. Iisdemque ut obviam iret morbis ante quatuor annos iter ad aquas Pyrmontanas instituebat æger, quarum usus effectum præstabat optimum. Adhuc divus Senator tumor, qui Steatoma dicitur, per multos annos laborabat, in femore sinistro, parte superiori, latere exteriori, versus inguen sito. Qui tumor quamquam diu ante fine dolore latuerat, tamen exente anno 1762 magna incrementa sumvit, ipsique femoris motui magnum posuit impedimentum. Quin dolore hujus partis increcente, vasa sanguifera ipsa in magnam iaciverunt capacitatem; imo color etiam ita fuit immutatus, ut, ne subsequatur carcinoma, timere inciperem. Quia de re suadere, ut extirparetur iste tumor, mearam partium esse, judicabam. Quam quidem operationem Doctiss. et Experientiss. D. Zacharias Vogel, Collega et Amicus meus æstumatiss. ex voto et ut integra restitueretur sanitas, 1763. mense Aprili perficiebat. Atque ab eo inde tempore prosperior multo videbatur valetudo per spatium unius anni. Sensim autem mala initio depicta, nempe ructus, vomitus humoris acidi et viscidæ matutinus, appetitus prostratus, tussis sicca et clangosa, lassitudo corporis, recrudecebant omniaque prope artis nostræ adminicula eludebant. Subito ex eadem cohorte malorum, ipso initio anni 1764. vomitus cruentus magno cum impetu binis vicibus magnaque quantitate ortum duxerat. Sed istud quoque malum datis optimis medicamentis fuit superatum. Tantum corporis robur justum atque naturale videbatur etiamnum desiderari. Quia de causa iterum ad aquas minerales configere Pyrmontanas, quasi sacram ancoram, statuebat æger, in quo itinere ipso consilium Experientiss. Consiliarii aulici et Archiatris sacri palatii, Excellentissimi Werlhofii, Hannoveranorum Podalirii, implorabat. Quo accepto tamen frustra fuit, quia debilitas corporis etiam exinde in dies accrescere videbatur. Denique initia hujus, quem nunc agimus, anni Vir Nobilissimus levi morbo catarrhalis fuit correptus, lassitudo que corporis gravior atque somniculosior doloresque vagi quarumvis partium, præsertim extremitatum corporis, præterea tussis sicca, matutinus materiae viscidæ vomitus, appetitus prostratus, auctor L. Linggi et Scovellus lividus, vel potius carulcus, infestans pedes, magnum istud nimis quam auxerunt, frustra remedii efficacissimis adhibitis. Que mala omnia licet ex communi amicoque consilio optimi et amicissimi Collegæ, Viri nobiliss. et experientiss. D. Trendelenburg, præstantissimis tentarentur medicamentis, extirpari tamen minime potuerunt. Sed potius morbus ipse in febrim lentam abiit. Quo facto acredines humorum ad summum augebantur, corpus emaciabatur, raucedo atque tussis materiam protrudens valde viscidam increcebat, vires denique omnes prosternebantur, quod signum ipsum erat læsi parenchymatis pulmonum; quibus omnibus leve postremo delirium superveniebat. Atque ita consumtus tandem tot malis tamque pestiferis placide obdormivit Vir Nobilissimus, quem Amicun ego Agnatunque et Fautorem Optimum vehementer desidero.“

Reliquit vero hanc mortalitatem a. d. VI. Mai. hora nocturna undecima abiitque ad Seruatorem, quem tantopere semper animo dilexerat. Cuius postremum epulo diuinitus instituto usus est proxima die Dominica Quasimodogeniti, ministrante amoris pariter atque muneric causa Mystagogo ipsius fidelissimo, viro admodum reuer. et præclariss. GE. HERM. RICHERTZIO, Pastore gregis sacri Iacobaei longe meritisimo, reu. ministerii Seniore plurimum venerando.

Itaque quando spes nostræ euanuerunt, euenit vero tristissimum illud, quod timuimus, o quid Vobis tandem animi est, qui plus caeteris omnibus in acerbo Viri occasu amisisti, Vxor amantisima, Liberi, quotquot non estis miserandæ sortis ignari, Frater vnice, vnica Soror, Agnati, Cognati, Affines, Amici? Vestram vero pietatem, nemo tam est inhumanus, qui vituperet. Sed tamen ipsi videtis, Vobis quid debeatis Vos inter Vos, quid debeatis rationi atque religioni, denique quid debeatis DEO. Nam illi ipsi, quem lugetis, nihil superest amplius, quod debeatis, nisi id, quod tanto cum dolore, lubentissime tamen, tribuitis, nempe gratam fidelemque metitorum eius et virtutum omnium memoriam. Caeterum o! quam Ipsi nunc bene est!

Sed viri exuiae quum hodie tradantur sepulturae, officii memor mei meaque erga VOS obseruantiae, MAGNIFICI et ILLVSTRES Reip. CONSVLES, summe venerab. reuerendo Canonicor. Collegio PRAEPOSITE, Generofissime Eorundem DECANE, summe reuer. atque excellentiss. Sacr. PRAESVL, nobiliss. prudentiss. consultiss. atque experientiss. Reip. SYNDICI et suarum quilibet artium DOCTORES, admodum reuerendi et præclariss. Sacri Ord. SENIOR, PASTORES atque SYMMYSTAE, nobiliss. generof. prudentiss. atque ampliss. Reipubl. SENATORES, PROTONOTARIE et SECRETARI, omnesque, qui pietatem colitis, virtutem amat, merita suspicitis, eius ut rei documenta detis, decorando pompam funebrem honorifico comitatu et frequenti, humillime decenterque et humaniter

rogo atque oro.

P.P. ipso exequiarum die XVI. Mai. A. CCCLXVI.